

existente) ut post Celsissimum Principem et Dominum Regni Palatinum uti Locumtenentem Regium, Sessionem suam habeant, Excellentissimi Domini Comites Judex Curiae Regiae, ac Banus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, si personaliter adsit.

*De Metarum Rectificatione, renovato Articulo 23. Anni 1681. cum aliis ibidem citatis; Commissarii denominantur.*

#### Articulus 15.

§. 5. Circa Carinthiam et Carnioliam: Reverendissimus Dominus Alexander Ignatius Mikulich, Episcopus Zagrabiensis, vel ejus loco Reverendissimus Dominus Stephanus Szeliztevich, ejusdem Capituli Praepositus Major: et Egregius Stephanus Jellachich, Magister Protonotarius Regnorum Dalmatiae, Croatiae ac Slavoniae.

*Religio Societatis JESU, in Regnum Hungariae et partes eidem annexas recipitur atque stabilitur.*

#### Articulus 20.

Uamodo imposterum Religio Societatis JESU, nomine colectivo sumpta; cum ad clementem suae Majestatis Sacratissimae Resolutionem; tum superinde coram Inclytis Statibus et Ordinibus factam demissam instantiam; in hoc Regnum Hungariae et Partes eidem annexas, pro recepta et stabilita habeatur; unanimiter sancitum est.

*De autoritate Banali, Regnisque Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae in suis Juribus et Libertatibus conservandis.*

#### Articulus 22.

Quod Sacra Caesarea Regiaque Majestas, habito etiam singulari, constantis erga se Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, ac Illustrissimi Domini Comitis Nicolai Erdödy eorundem Regnorum Bani fidelitatis respectu; autoritatem Banalem, Jurisdictionemque ejusdem et dictorum Regnorum Jura, Privilegia, Libertatesque antiquas et praesentes (inserta in Diplomate Serenissimi Neo-Coronati Regis de usu et intellectu eorundem \*) modalitate) confirmare; plenarieque et illibate in futurum quoque conservandas benigne resolvere dignata sit; Status et Ordines humillime intellexerunt.

§. 1. Unde praescita benigna suae Majestatis annuentia accedente, statuitur; ut in manutenendis, tam Pacis, quam Belli tempore iisdem praetactorum

\*) De usu et intellectu eorundem. Explicatur haec clausula; An. 1741. a. 8.